DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii decimâ-secundâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXVI.

M. CLAUDIO-ANTONIO RENARD,
Doctore Medico, Præside.

An impeditis lacrimarum viis, parari debeat lacrimis artificiale iter in cavum quod, juxta majorem oculi canthum, inter superficiem internam palpebræ, & oculi globum deprehenditur.

I.



IN externam oculi superficiem, rore amico, depluit latex limpidus quem fundunt excretorii glandulæ lacrimalis ductus; qua proportione stillat ros ille, eâdem fere per oscula ductuum lacrimalium resorptus, ad interiora sacci lacrimalis, deinde ad nares, mediante ductu nasali, transmittitur; varia sunt noxarum genera quibus, per itinera modo memorata, præpediri potest lacrimarum transmissio; dum enim majori oculi cantho adnascitur tumor aliquis ut v. g. Encanthis, dum hæret obex ductui nasali, dum fistulâ laborat aut fungo infestatur saccus lacrimalis, dum post inflammationem palpebrarum, coalita remanent puncta lacrimalia, tunc interclusis meatibus, super genas flumine refluo decidunt lacrimæ; huic vitio impositum est epiphoræ nomen, maximas ægrotanti creat molestias, siquidem perpetuo lacrimarum fluxu abstergitur humor ille unguinosus quo lubricantur palpebrarum margines, hinc tarsi intumescunt, rubent, tandem inflammatione correpti exulcerantur: unde natales ducit tetrum deformitatis genus quod Ectropium vocant; cum igitur gravioris admodum momenti sit incommodum istud, non mirum quod desudarint tot præstantes in arte Chrurgicâ viri, ut præclusum lacrimis restituerent iter; quid fausto partu in medium protulerit illorum industria perlustrare est, hinc facilius elucescet quam cæteris præstet nova methodus a Celeb. hujusce scholæ M. ANTONIO PETIT excogitata, quæ sola id laudis sibi vindicat, ut periculi omnino expers feliciter in omni casu usurpari queat, citra ullum cicatricis inhonestæ vestigium; & primo ne devii, huc illuc, ferantur gressus, non abs re erit morborum qui epiphoram generare solent genuinis caracteribus, causis & simptomatibus paulisper immorari.

II.

NOXARUM quibus tentantur viæ lacrimales individua comes Epiphora; hinc omnia fusdeque miscentibus, eodem nomine placuit insignire morbos indole, naturâ, situ planè diversos; etenim vox fistulæ semper sonat, fallitque incautos insulsa denominatio, istius saltèm erroris dedecus vitare nostrum est, ridiculum nimis, Epiphoræ pendenti ab occlusione ductûs nasalis, aut à coa-

litione punctorum lacrimalium; fistulæ nomen tribuere; quando adest occlusio ductûs nasalis, his sese prodit notis: cum ad narem perlabi nequeant lacrimæ, sensim sine sensu coacervantur in sacco, hinc turget adeò ut extrinsecus in conspectum prodeat tumor qui hernia lacrimalis juxta quosdam, hydrops sacci lacrimalis juxta alios vocatus fuit; ubi verò ità intumuit receptaculum ut nihil jàm intromitti queat, cum secretioni sempèr eodem tenore vacet glandula lacrimalis, necessariò continget ut ex oculo per genas decidant lacrimæ; si digito prematur cutis cui subjacet saccus, tunc per puncta lacrimalia refluit humor contentus, qui ob moram spissior materiem purulentam colore aliquando mentitur. Ista sacci lacrimalis prominentia facile distinguitur ab anchilope qui est tumor carunculæ durus, inæqualis, digitorum pressioni renitens, ab Ægilope quæ est ulceris species in viciniâ sacci lacrimalis posita. Timendum est ne, dum distenditur saccus, distractis nimiùm fibris rumpatur, tùnc soluti continui ora semper ab acrioris lacrimæ effluxu irritata indurescunt pus, mali moris eructant, callis obsidentur, & fistula propriè dicta locum habet; causas obstructionis ductûs nasalis referre est aut ad compressionem à polypo oriundam, aut ad inflammationem, quibus causis fit ut moras nectat liquidum, parte fluidiori sufflaminatâ quasi fæces subsidant supèr parietes ductûs sicque factâ congestione, ponatur obex jàm artis medicæ molimina irrisurus; pòst variolas, prægressâ palpebrarum inflammatione, sæpe contingit ut exulcerata seù puncta lacrimalia seu ductus lacrimales coalescant; hujus mali diagnosis eruitur ex perpetuo lacrimarum effluxu quem in sacco lacrimali nullus stipat tumor nec alterius generis noxa. Tandem ex alio morbi genere refractariæ admodùm indolis, natales mutuatur Epiphora. Juxtà majorem oculi canthum, rupto lacrimarum receptaculo, sordidum ulcus deprehenditur pus ichorosum plorans, cujus ora callis circumdata; fistula lacrimalis audit, quæ simplex aut complicata, benigna aut maligna; complicata quandò adest caries aut ossis unguis, aut apophiseos ascendentis ossis maxillæ superioris aut apophiseos orbitariæ internæ; maligna quandò inversa, ac dolorifica soluti continui ora indolem cancri induunt: pro variis istis noxarum generibus in diversas processum fuit medendi vias, ad quarum expositionem properamus.

I. I I.

OBSTRUCTO ductu nasali, veteres hanc instituebant operationem: lumine adverso collocabatur ægrotans, ipsius capite ad posteriora nonnihil retracto, tùnc Chirurgi manus scapelló rectò instructa, cutim quâ obtegitur saccus lacrimalis, digitorum ope firmiter tensam secabat incisione semilunari quæ orbitæ curvaturam ferè sequeretur, diducto vulnere prodibat saccus lacrimalis apice instrumenti transfigendus, quo facto contra os lacrimale magna vi specillum ita adigebatur, ut rupto osse ad naris cavum penetraret; postea per foramen, aut cereus, aut ligneum bacillum immittebatur, quæ retrahere nefas donec plagæ exteriori cicatrix inducta fuerit; spreta obsolevit hæc methodus, nec immeritò; præter periculum quod secum invehebat ossis diffractio, id evenit ut, retracto bacillo, luxurient undique carnis gemmæ, seu ex membranâ pituitariâ, seu ex tunicis sacci lacrimalis, sicque, obturato aditu, malum de novo recrudescat; secum reputans quam manca sit veterum agendi norma Anellus, novam methodum excogitavit; immisso per punctum lacrimale superius tenui specillo paululùm incurvo cujus apex in olivæ formam desinit, illud adigit usque ad cavum sacci lacrimalis, tunc blandè motitando, oppositum obicem vincere nititur, quem ut superet faciliùs, injectiones adhibet, mediante enim parvo syphunculo, iteratis vicibus, liquor idoneus in saccum impellitur; ista rectius excogitata nondum omne punctum tollunt, 1.° Multos nancisci est apud quos per exiliora-

ductuum lacrimalium orificia aditus sive specillo, sive syphunculo patere nequaquam poterit, 2.º Quandoquidem intromissio ritè succederet, hærens ductui nasali moles, illatam vim luderet, aut nondum altiori radice serpsisset malum; in medium profertur altera methodus, quæ faustos habet exitus quando morbus stat in principio; huc collimare est ut institutâ compressione, nihil colligi queat in sacco lacrimali, & dum mediantibus per nares injectionibus minuitur in ductu nasali resistentia, sensim sine sensu ad pristinum robur redit saccus, & obex aliquando solvitur; si nihil inde boni emerserit, ad aliam opem confugiendum venit; adacto per nares in ductum nasalem specillo, nucleus obstructionis pedetentim frangitur, non omissis interea injectionum artificiis; quo quidem operandi modo id obtinetur ut feliciori nisu in nucleum impingatur, attamen non rarò caret effectu prædicta operatio, ea adesse potest conformatio ut, osse turbinato inferiori supra quod hiat ostium ductûs nasalis strictius ossi maxillæ adplicato, apex specilli nulla arte intromitti queat; Chirurgus pariensis Celeber. *Petit* veterum medendi rationem ingeniosè admodum correxit; incisionem eodem fere modo celebrat, adeo ut ad nasi radicem incipiat super illum locum ubi hæret tendo musculi orbicularis, quem citra ullam noxam lædere fas est; sedulò incumbere debet medentis cura, ut partem cutis, quâ in oculi angulo palpebræ inter se committuntur, integram servet, aliter oritur Ectropium; postea diducuntur incisionis ora, conspicuoque lacrimarum receptaculo altera infligitur plaga, per quam immittitur specillum ad nasi interiora, superato ductûs nasalis obice, deducendum. Hanc methodum cæteris præstantiorem varia obsident incommoda, nonne aliquando abit in fistulam plaga exterior? nonne modo cicatrix inducta fuerit, metuendum ne intus a turgidulis carnium gemmis ostium præcludatur? tandem quando res prosperrimo omine cederent, quamdam deformitatis notam imprimit cicatricis vestigium.

Quos in obstructione ductûs nasalis varii admoverunt auctores operandi modos, fido ordine recensuimus: nunc paucis perpendere est quid in occlusione seu punctorum seu ductuum lacrimalium, quid in fistula peractum fuerit; quoad primum morbum, non defuere qui suaderent glandulæ lacrimalis extirpationem quasi, remoto ipsiusmet operationis periculo, corneæ desiccatæ diu servaretur pelluciditatis honos. Alii voluerunt ut acu tenuissimâ transfigerentur ductus lacrimales, sicque ductibus restitueretur lumen; ista in theoriâ fulgeant, iis enim non favet praxis, hic stetit industria: quoad fistulam, immisso per aperturam specillo, hærens ductui nasali obex detruditur, postea medicamentis rodentibus ora fistulæ callis obsita depascunt, si caries adsit, nudato osse carie tentato, levem noxam spirituosis, majorem ferro candente circumcidunt; quo facto scopus eo tendit ut cicatrix obtineatur, sed si fungus interiora sacci occupet, si ejusdem sacci suppuratione exesi nulla maneant vestigia, quid ab arte petendum? in his ut & in prædicto occlusionis ductuum lacrimalium casu siluerat ars, donec a Celeberr. hujusce Sch. M. *Petit* ditata, novum auxilii genus in omnes morbos mox memoratos feliciùs accomodatum, protulerit.

IV.

JUXTA majorem oculi canthum, infra carunculam lacrimalem, cavum quoddam inter internam palpebræ inferioris superficiem, & oculi globum deprehenditur. hic ad latus, in sulco ossis unguis delitescit sacci lacrimalis pars antica & supernâ quam sola obtegit conjunctiva: hunc locum operationi dicatum voluit Celeb. Prof. *Ant. Petit*, adhibitis quæ requiruntur cautelis, scilicet ut convenienti modo præparetur ægrotans, ut mane instituatur operatio, quia turgescens saccus rudi etiam & inexperto monstrat iter, ut in situ idoneo superiùs descripto, caput ægrotan-

tis recumbat; quo facto, diductâ inferiori palpebrâ, adeo ut cavum de quo jam dixi latè pateat, tumori lacrimalis facci immergitur fcalpellum rectum, planâ inftrumenti fuperficie ad oculum fpectante, incifione celebratâ, fpecillum duce fcalpello, immittitur, eoque ufque ad obicem adacto, vi quâdam ad nares paratur via. Primis diebus cereus minor aut Cannula in foramine retinetur, donec ora incifionis occaluerint; poftea ad hunc locum utpote decliviorem delabentibus lacrimis, non pertimefcendum ne obturetur aditus: hanc operationem exponere, laudare eft. Cæcutiret profectò qui primâ fronte ipfius commoda non intueretur; in omni cafu fucceffus non fallax, nihil periculi, nulla deformitatis nota, præfens ac efficax in obliteratione ductuum lacrimalium, in ipfiufmet facci lacrimalis deftructione, auxilium, in id confpirant, ut methodus hæc palmam cæteris præripiat.

V.

HANC operationem nullus boni detractor increpet tanquam imaginationis ludum in mufæi filentio partum, pluries jam celebrata, fpem nunquam in praxi fefellit; fed ut pericula detegat, fe ipfum torquebit malè ingeniofus pavor: nonne, inquit, ex plagâ conjunctivæ inflictâ oriri poteft valida oculi inflammatio? nonne fi carnes ex labro incifionis progerminent, intercipietur ad nares communicatio? Quoad primam objectionem, inanis eft mali metus quod tantùm re malè peractâ contingit, cujus aliunde facilis medela; quoad fecundam, nodus refecandus venit, quia perpetuo lacrimarum defluxu, apertum fervatur foramen, prætererea mediante cannula quæ in cavo majoris oculi canthi delitefcet, omne impedimentum aut præcaveri aut præcidi poteft; nullum nunc ferit aures objectionis murmur: quid igitur fupereft, nifi ut vela traham properando ad conclufionem:

Ergo impeditis lacrimarum viis, parari debet lacrimis artificiale iter in cavum quod, juxta majorem oculi canthum inter fuperficiem internam palpebræ, & oculi globum deprehenditur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Cofma-Auguftinus LEZUR JR.

M. Nicolaus JEANROY.

M. Auguftinus ROUX, *Regiæ Societatis rei agrariæ, necnon Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalenfis Socius.*

M. Achilles Guillelmus LE BEGUE DE PRESLE, *Eques & Cenfor Regius.*

M. Cæfar COSTE, *Cenfor Regius.*

M. Petrus-Joannes-Claudius MAUDUYT DE LA VARENNE.

M. Jacobus VERDELHAN DES MOLLES, *Sereniffimi Principis Condæi Confiliarius Medicus.*

M. Carolus Ludovicus LIGER.

M. Joannes Stephanus GUETTARD, *Regiarum Academiarum Parifienfis, Rupellenfis, Florentinæ & Stokolmienfis Socius, Cenfor Regius, & Hiftoriæ naturalis Mufæi fereniffimi Ducis Aurelianenfium Cuftos.*

Proponebat Parifiis PAULUS-GABRIEL LE PREUX, Parifinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccal. Thefeos Auctor, A. R. S. H. 1766. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerfitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1766.